

primo libro (col. 292, v. *Magis*) probabilis visa est opinio negativa Nav., Henr., Led., etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide lib. 4, numer. 109 (in edit. Mechlin., lib. 5, num. 109).

*Quæstio 48.* An graviter peccet, et teneatur ad restitutionem, qui recipit beneficium curatum cum animo dubio vel conditionato suscipiendi sacerdotium infra annum? In primo libro (col. 471, litt. A) adducta est opinio negativa Nav., Barb., Garciae, etc. Item, opinio Salmant., qui eam admittunt tantum, si animus est conditionatus. Sed in hoc melior visa est opposita, sive animus sit dubius, sive conditionatus. Vide lib. 4, num. 114 (in edit. Mechlin., lib. 5, num. 114).

*Quæstio 49.* An pluralitas beneficiorum sit vetita non solum de jure canonico, sed etiam naturali? In primo libro (col. 473, litt. A) dicta est probabilis opinio negativa cum Lugo, Innoc., Fill., Valent., etc. Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam, nisi accedat dispensatio pontificia et justa causa. Vide lib. 4, num. 117 (in edit. Mechlin., lib. 5, num. 117).

*Quæstio 50.* An possit sine peccato gravi permutari Officium divinum in aliud notabiliter brevius? In primo libro (col. 494, litt. A) dicta est probabilis opinio affirmativa, excepto Officio Palmarum cum Officio Paschæ vel Pentecostes, ut tenent Sylvest., Salmant., Villal., Diana, etc. Sed in hoc non est admissa ut probabilis. Vide lib. 4, num. 161, v. *Quær.* 3 (in edit. Mechlin., lib. 5, num. 161).

*Quæstio 51.* An matutinum possit recitari duabus horis post meridiem? In primo libro (col. 496, litt. D) probabilis dicta est opinio affirmativa cum Salmant., Sanch., Tamb., Molfes., Led., etc. Sed in hoc dictum est tenendam esse oppositam. Vide lib. 4, num. 174 (in edit. Mechlin., lib. 5, num. 174).

*Quæstio 52.* An peccata multiplicentur ex diversitate objectorum totalium, nempe, si quis uno ictu occidit quatuor homines? In primo libro (col. 564, v. *An autem*) dicta est probabilis opinio negativa, cum Suar., Lug., Busemb., Viva, etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide lib. 5, num. 45 (in edit. Mechlin., lib. 2, num. 45).

*Quæstio 53.* An confessarius in mortali successive absolvens plures poenitentes, unum peccatum committat? In primo libro (col. 563, v. 2 *Quoad actus*) visa est probabilis opinio affirmativa, cum Salmant., Lugo, Viva, Spor., etc. Sed in hoc reprobata est. Vide lib. 5, num. 50, v. *Quær.* 6 (in edit. Mechlin., lib. 2, num. 50).

*Quæstio 54.* An citra infamiationem possit quis dissolvere amicitiam alicujus, narrando ejus defectus naturales, ut ipse succedat loco expulsi? In primo libro (col. 576, litt. A) relata est opinio affirmativa Salmant., Soti, Bonac., Arag., Prado, etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide lib. 5, num. 72, v. *An citra* (in edit. Mechlin., lib. 2, num. 72).

*Quæstio 55.* An liceat se inebriare ex consilio medicorum, si inebriatio aestimetur necessaria ad morbum expellendum? In primo libro (col. 577, v. 2 *Non est*) adducta est opinio affirmativa Bus., Sylv., Cajet., Lesii, Laym., Salmant., etc. Sed vide quomodo in hoc limitata sit. Vide lib. 5, num. 76, v. *Quær.* 1 (in edit. Mechlin., lib. 2, num. 76).

*Quæstio 56.* An liceat se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minitatur? In primo libro (col. 578, litt. C) dicta est probabilis opinio affirmativa Lesii, Laym., Bonac., Bus., etc. Sed in hoc amplexata est opinio negativa. Vide lib. 5, num. 76, *Quær.* 2 (in edit. Mechlin., lib. 2, num. 76).

*Quæstio 57.* An satisfaciatur qui se confitetur tempore Missæ? In primo libro (col. 210, quær. 2) adducta est

opinio affirmativa Palai, Hurtadi, La Croix, Pichler, Gobat, etc., modo aliquo modo attendat simul ad Missam. Sed vide lib. 3, num. 314 (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 314).

*Quæstio 58.* An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri, si monasterium sit opulentum? In primo libro (col. 130, v. *Sed quæritur*) relata est opinio affirmativa Salmant., Nav., Tol., Pal., Sanch., Bon., Sot., etc. Sed in hoc amplexata est opposita. Vide lib. 3, num. 92, v. *Secunda* (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 92).

*Quæstio 59.* An in sacramento Baptismi aqua sit infundenda dum actu dicitur: *Te baptizo*? In primo libro (col. 585, litt. A) affirmatum est. Sed in hoc probatum est sufficere quod forma proferatur ante quam materiam desistatur applicari. Vide lib. 6, num. 9, v. *Quæritur*.

*Quæstio 60.* An omnes materiae et formæ Sacramentorum sint a Christo determinatæ in specie? Negatum est in priori libro (col. 804, quær. 2). Sed in hoc secundo oppositum probabilius visum est (liber 6, numerus 12).

*Quæstio 61.* An peccet graviter minister conferens Sacramenta in mortali, etiamsi ad illud non sit specialiter ordinatus, vel si solemniter non ministret? Negatum est in priori libro (col. 594 et 595). Sed hic affirmatur (lib. 6, num. 32).

*Quæstio 62.* An peccet graviter sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali? In priori libro (col. 665, v. *An autem*) probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamus (lib. 6, num. 35).

*Quæstio 63.* An minister possit dare Sacramentum indigno ob metum mortis? In priori libro (col. 595, dub. 5) probabilis visa est sententia affirmativa. Sed hic negativam teneamus (lib. 6, num. 49).

*Quæstio 64.* An clericus habitus in vitio turpi, vel alio, volens as-

cendere ad ordinem sacrum, possit absolvi ex simplicibus signis extraordinariis, tantum sufficientibus ad sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum? In priori libro affirmatum est (col. 598, v. *Quæres hic* 3). Sed hic negatur, nisi valde extraordinaria signa accedant, quæ probitatem positivam ordinandi ostendant. Vide lib. 6, in dissert., num. 63.

*Quæstio 65.* An sacerdotes ordinentur per solam manuum impositionem? In priori libro (col. 806, litt. F) negavimus. Sed hic affirmativam sententiam probabilioram censemus (lib. 6, num. 749).

*Quæstio 66.* An moribundus qui mane communicavit, possit eadem die sumere viaticum, adveniente morbo? In priori libro (col. 668, litt. A) probabilem diximus sententiam tam affirmativam quam negativam. Sed hic distinguimus, si morbus sit naturalis, aut violentus (lib. 6, num. 285, v. *Dub.* 3).

*Quæstio 67.* An sacerdos negligens dicere sacrum promissum, parvo stipendio accepto, graviter peccet? In priori libro (col. 676, litt. C) diximus probabilem sententiam negativam. Sed hic affirmativam tutamur (lib. 6, num. 317, v. *Quær.* 3).

*Quæstio 68.* An Episcopus possit moderari numerum Missarum a testatore præscriptarum? In priori libro dictum est posse, si fructus congruentes non percipiantur (col. 680, litt. F). Sed hic negatur (lib. 6, num. 331, v. *Dub.* 1).

*Quæstio 69.* An liceat privatim celebrare in die Cœnæ Domini? In priori libro adhæsimus sententiæ affirmativæ (col. 693, litt. E). Sed hic dicimus omnino tenendam negativam (lib. 6, num. 350).

*Quæstio 70.* An altare amittat consecrationem si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum reliquiis? In primo libro probabile dictum est non amittere (col. 693, litt. C). Sed hic (lib. 6, num. 369,

ad 3, dub. 2) oppositum tenendum probamus (1).

*Quæstio 71.* An sufficiant duæ mappæ in altari, vel una duplicata? In priori libro affirmavimus (col. 697, litt. C). Sed hic contrarium tenendum dicimus (lib. 6, num. 375).

*Quæstio 72.* An aqua lotionis corporalium possit projici alio quam in sacrarium? In priori libro dictum est sufficere si projiciatur in decentem locum (col. 699, litt. E). Sed hic contrarium probamus (lib. 6, num. 387).

*Quæstio 73.* An abbates possint consecrare calices pro ecclesiis alienis? In priori libro relata est sententia affirmativa (col. 699, litt. B, in fine). Sed hic oppositam tenendam dicimus (lib. 6, num. 381).

*Quæstio 74.* An pyxis debeat benedici? In priori libro retulimus sententiam negativam (col. 698, litt. H). Sed hic oppositam probamus (lib. 6, num. 385).

*Quæstio 75.* Si post sumptionem sacerdos prudenter dubitat an vinum fuerit acetum, an rursus consecrare debeat utramque materiam sub conditione? Hic affirmandum probamus (lib. 6, num. 206, v. *Quod*), quidquid dictum sit in priori libro.

*Quæstio 76.* A quo Episcopo debeant approbari confessarii? In priori libro (col. 247, litt. E) dictum est probabiliter posse approbari etiam ab Episcopo confessarii, aut pœnitentis. Sed hic (lib. 6, num. 548) dicimus omnino approbandos ab Episcopo loci.

*Quæstio 77.* Doctor consultus a confessario, an teneatur ad sigillum? In priori libro (col. 776, litt. G) diximus probabiliter non teneri. Sed hic oppositum tuemur (lib. 6, num. 648).

*Quæstio 78.* An mutus teneatur coniteri scripto? In priori libro pro-

(1) Si tan sólo se rompe el sello del Obispo, es cosa cierta que no pierde la consagración; pero la pierde si *removetur sepulchrum cum reliquiis*.

babilis visa est sententia negativa (col. 726, litt. B). Sed hic dicimus teneri, si commode potest (lib. 6, num. 479, v. *Quæritur*).

*Quæstio 79.* An in jubilæo confessio debeat fieri in eadem hebdomada in qua perficiuntur opera, ut possit pœnitens absolvi a reservatis? In priori libro adhæsimus opinioni negativæ (col. 743, litt. A, num. 2). Sed hic oppositam tenemus (lib. 6, num. 537).

*Quæstio 80.* An qui in jubilæo confessus est invalide, possit deinde a quolibet absolvi? In priori libro relata est opinio affirmativa (col. 743, num. 1). Sed hic negativam sustinemus (lib. 6, num. 537, v. *Quæritur* 2).

*Quæstio 81.* An parochus in aliena diœcesi possit excipere confessiones alienorum ex licentia illorum parochi? In priori libro affirmavimus (col. 746, litt. B). Sed hic negamus (lib. 6, num. 544).

*Quæstio 82.* An simplex sacerdos possit absolvere moribundum, præsentente confessario approbato? In priori libro (col. 752, litt. D) relata est sententia affirmans, quam hic rejicimus (lib. 6, num. 562).

\* Véase la declaración del Santo Oficio que se refiere en la nota al núm. 2339, según la cual este tal *non est inquietandus*. \*

*Quæstio 83.* An ignorans reservationem casus episcopalis, eam incurrat? In priori libro diximus probabiliter sententiam negativam (col. 757, litt. A). Sed hic eam reprobamus (lib. 6, num. 581).

*Quæstio 84.* An absoluti indirecte a peccato reservato in casu necessitatis a non habente facultatem, teneantur post modum Episcopo se præsentare? In priori libro negavimus (col. 936, v. *An autem*). Sed hic observa distinctionem allatam (lib. 7, num. 91).

\* Ténganse presentes las recientes declaraciones del Santo Oficio, insertas en los núms. 207 y 2365. \*

*Quæstio 85.* An confessarius errans culpabiliter circa valorem Sacramenti, teneatur monere pœnitentem de errore, etiam cum gravi suo incommodo? In priori libro probabilem diximus sententiam negativam (col. 766, litt. I). Sed hic affirmativam tenemus (lib. 6, num. 619).

*Quæstio 86.* An possit absolvi a simplici confessario peregrinus habens casum reservatum in loco confessionis tantum, et non in patria? In libro priori relata est opinio affirmativa (col. 758, in fine, v. *Quæritur an*). Sed hic eam refutamus (lib. 6, num. 588).

*Quæstio 87.* An qui confessus est superiori, et oblitus fuerit reservati, remaneat ab illo directe absolutus? Hic probabiliter negatur (lib. 6, num. 597), quidquid in priori libro dictum sit; pero el Santo pone tres excepciones.

*Quæstio 88.* An incurrat suspensionem qui ordinatur cum patrimonio donato, sed data antapoca (1), vel fide de reddendo illo donanti? In priori libro dicta est probabilis opinio negativa (col. 829-2). Sed hic (lib. 6, num. 822) observa distinctionem tenendam, nempe, si donans habuerint veram, vel ne, voluntatem donandi.

*Quæstio 89.* Si quis post contracta sponsalia cum una ducat aliam, an, hac defuncta, teneatur ducere primam? In priori libro dictum est probabiliter non teneri (col. 145, litt. I). Sed hic contrarium sustinetur (lib. 6, num. 875, v. *Quæritur*).

*Quæstio 90.* An si quis contraxit matrimonium, ad illud revalidandum sufficiat ut ipse solus apponat consensum? Hic (lib. 6, num. 1114) sententia affirmativa verior dicitur; quamvis in priori libro (col. 890, v. *Hinc infertur*) non fuerit admissa.

*Quæstio 91.* An sit nulla dispensatio super impedimento inter pro-

(1) *Antapoca*: contra-recibo, contraescritura ó constancia.

pinquos, si tacetur copula inter ipsos præhabita? In priori libro opinio negativa probabilior visa est (col. 904, v. *Quæritur* 3). Sed hic (lib. 6, num. 1134) omnino rejicitur, etiam si copula non fuerit habita ad facilius obtinendam dispensationem.

\* Hoy la reticencia de la cópula no anula la dispensa. (Véase el número 3099. \*

*Quæstio 92.* An simplex sacerdos possit absolvere a venialibus, et ab excommunicatione minori? In priori libro (col. 746, litt. A, et col. 928, v. *Certum*) opinio affirmativa, licet non fuerit admissa, non tamen omnino rejecta est. Sed hic (lib. 7, num. 71) omnino rejicitur, ob decretum Innoc. XI.

*Quæstio 93.* An absolutus ab Episcopo in necessitate á casu papali propter impedimentum temporale, excusetur ab adeundo Romam, si parti jam satisfecerit? In priori libro dictum est probabiliter excusari (col. 933, *Quæritur* 3, in fine). Sed hic omnino teneri dicimus (lib. 7, num. 87).

\* Véanse las declaraciones indicadas en la cuestión 84. \*

*Quæstio 94.* An habens casum papalem publicum, si punitus fuerit ab aliquo Episcopo possit absolvi ab alio? In priori libro opinio affirmativa probabilis visa est (col. 930, v. *Hinc*, infra dub. 1). Sed hic contrariam veriore dicimus (lib. 7, num. 77).

*Quæstio 95.* An Episcopi possint absolvere a papalibus occultis extra confessionem? In priori libro relata est opinio affirmativa (col. 942, ad num. 8). Sed hic (lib. 6, num. 593, v. *Hic autem*) illam refutamus ex declar. Gregorii XIII.

*Quæstio 96.* An liceat rescribere ad excommunicatum? In priori libro dictum est probabiliter licere (col. 964, litt. F). Sed hic negamus (lib. 7, num. 193). An autem liceat excommunicatum resalutare? In priori libro (col. 965, dub. 2) opinionem affirmativam diximus absolute probabi-

lem. Sed hic (dicto num. 193) oppositam censemus probabiliorē, licet primam non damnemus.

*Quæstio 97.* An duellum possit acceptari, ne incuratur magna et certa jactura bonorum? Quidquid dictum sit cum Salmant. in priori libro (col. 970, litt. A, Not. 1), hodie hæc opinio damnata est a Benedicto XIV. Vide lib. 3, num. 400, prop. 4.<sup>a</sup> (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 400).

*Quæstio 98.* An parentes possint cogere puellam ad ingressum in monasterium causa educationis? In priori libro (col. 983, in princ.) probabilis dicta est opinio affirmativa. Sed hic (lib. 7, num. 212, v. *Quoad*) opposita absolute probabilior visa est, nisi puella sit in periculo incontinentiæ.

*Quæstio 99.* An incurrat irregularitatem ratione bigamiæ, qui contrahit duo matrimonia nulla, vel qui ficte secundum matrimonium init ad copulam extorquendam? Hic dicimus affirmandum (lib. 7, nums. 446 et 447), quidquid in priori libro dictum fuerit.

3885. ADDUNTUR ALIÆ RECENTES RETRACTATIONES, QUÆ IN PRÆCEDENTE EDITIONE RECENSENTUR.

*Quæritur 1.<sup>o</sup>* Si quis probabiliter iudicet se implevisse votum, Horas canonicas, sive pœnitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit vel dubium non implevisse? Negant plures auctores (lib. 1, num. 76). Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio jam contracta, donec certe non fuerit impleta (in edit. Mechlin., lib. 1, num. 29).

*Quæritur 2.<sup>o</sup>* An declarationes Sac. Congreg. Cardinalium vim legis habeant? Plures auctores negant, nisi editæ sint, non solum consulto Pontifice, sed etiam mandate, ut ipsæ solemniter per totam Ecclesiam promulgentur (lib. 1, num. 106, v.

*Quæritur 2.*) Addendum tamen est, quod hujusmodi declarationes, quæ jam in Ecclesia universaliter divulgatæ et facto sic promulgatæ fuerint usu plurium, vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hæc satis omnes fideles obstringunt.

*Quæritur 3.<sup>o</sup>* An Episcopus dispensare possit in statutis canonicis, in quibus dispensatio reservata non sit? Visa fuit prius satis probabilis sententia affirmativa, cum Soto, Covar., Castrop., Bonac. et S. Antonino. Sed re melius perpensa, videtur negativa omnino tenenda, ex Clement. 2.<sup>a</sup>, de elect., ubi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Cui congruit cap. *Dilectus, de temp. ordin.* Vide lib. 1, num. 191.

*Quæritur 4.<sup>o</sup>* An delegatus principis, vel delegatus ad universitatem causarum possit subdelegare? Affirmatur lib. 1, num. 193. Sed hoc est limitandum juxta id quod dicitur lib. 6, num. 566, nempe, hoc intelligi cum delegatio facta est tamquam per officium aut cum delegatur alicui jurisdictionis ut privilegium perpetuo suo officio sive dignitati annexum.

*Quæritur 5.<sup>o</sup>* An cesset lex, cessante fine legis in particulari? Allata est sententia quæ id probabile vocat, hancque tenent Salmant. et Viva, cum Cajet., Silvest., Panorm., Valent., Sa., Card., Nav., Abbate., Comit., et aliis (lib. 1, num. 199). Sed hic advertendum, quod hæc opinio vix unquam in praxi probabilis erit, quia vix unquam eveniet quod in particulari omne hallucinationis periculum cesset.

*Quæritur 6.<sup>o</sup>* Si quis ex intentione furandi centum aureos surripiat eos centenis vicibus moraliter interruptis, an tunc centum peccata perpetret? Lib. 5, num. 44, dictum fuit probabile esse unum furtum sive peccatum committi. Sed melius re perpensa, dicendum hujusmodi furta esse centum distincta peccata mortalia, cum unumquodque furtum dis-

tintam malitiam in se continet (in edit. Mechlin., lib. 2, num. 44).

*Quæritur 7.<sup>o</sup>* Actus charitatis erga Deum eliciendus est saltem semel in mense, ut dicitur lib. 2, num. 8. Addendum est, quod eodem modo, nempe, semel saltem in mense, teneamur pariter elicere actum charitatis erga proximum; alioquin difficulter hoc præceptum charitatis erga proximum observare valebimus (in edit. Mechlin., lib. 3, num. 8).

*Quæritur 8.<sup>o</sup>* Dictum est lib. 3, num. 244, non videri improbable cum Les., Salmant., Bon., etc., quod ab ipso vovente possit commutari votum in æquale. Sed dicendum cum S. Thom., Cajet., Suar., et aliis esse multum probabilius quod non possit; quia Deus potius vult rem promissam, quam aliam (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 244).

*Quæritur 9.<sup>o</sup>* Dicunt plures doctores, apud Bus. (lib. 3, num. 381), licere viro honorato occidere aggressorem conantem alapam ei impingere. Sed ibi addendum id quod sapienter docet Sylvius: *Etiamsi honor sit bonum præstantius quam divitiæ, aut nullum aut rarissimum arbitramur esse casum quo pro defensione solius honoris licet aggressorem interficere:* in 2.<sup>am</sup> 2.<sup>o</sup>, q. 64, art. 7, quær. 9 (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 381).

*Quæritur 10.* An beneficiarii expedites redditus beneficii superfluos in usus profanos teneantur ad restitutionem? Lib. 3, num. 492, exposita fuit sententia affirmativa tamquam valde probabilior; sed peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi signanter ob auctoritatem et rationem Div. Thomæ (in 2.<sup>a</sup> 2.<sup>æ</sup>, q. 185, art. 7). Vide cit. num. 492 (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 492).

*Quæritur 11.* Si quis furatus sit rem, cujus dominus est incertus, cui restituere debet? Lib. 3, num. 589, dictum est restitutionem faciendam esse pauperibus, aut locis piis cujus-

cumque loci. Sed huic plures addendæ sunt limitationes, quas loco citato vel paulo post invenies (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 589).

*Quæritur 12.* Utrum si crimen aliquid est publicum in quodam loco, possit sine culpa, saltem gravi, manifestari in alio ubi illud est adhuc occultum? Dictum fuit (lib. 1, numer. 86) cum Lug., Cajet., Nav., Salmant., etc., communissime contra alios, sententiam affirmativam esse valde probabilem. Sed vide lib. 3, num. 974, ubi nunc sententia limitatur tantum pro delictis illis quæ delinquentem aliis perniciosum efficiunt (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 974).

*Quæritur 13.* An in die jejunii notabiliter antevertens sine justa causa horam meridianam, graviter peccet? Lib. 3, num. 1016, dictum fuit cum Less., Tol., Bonac., Laym., Salmant., Castrop., etc., probabiliorē esse negativam sententiam. Sed re melius ad trutinam revocata, dicimus cum Azor., Sanch., Nav. Sylvest., affirmativam omnino tenendam (in edit. Mechlin., lib. 4, num. 1016).

*Quæritur 14.* An Episcopus possit lites transigere super bona ecclesiæ vertentes? Lib. 4, num. 187, v. *Circa*, etc., dictum est non posse. Sed hoc intelligendum tantum, quando ecclesia ob transactionem deberet aliquid de rebus possessis cedere: secus si nihil cederet de possessis (in edit. Mechlin., lib. 5, num. 187).

*Quæritur 15.* Si votum sit certe emissum, sed tantum probabiliter impletum, utrum vovens teneatur omnino votum implere? Negant plures auctores, nempe, Lugo, Roncag., Salmant., cum Laym., etc. Sed censeo cum Conc., Antoine, etc., votum implendum esse; cum enim votum est certum, possidet obligatio implendi votum. Vide lib. 1, num. 29.

*Quæritur 16.* An teneatur pœnitens confiteri mortale peccatum certe commissum, si tantum probabiliter reputet se illud confessum fuisse?

Negant Suar., Lugo, Salmant., et alii. Sed dico cum Concina et aliis eum teneri peccatum illud clavibus subicere, cum dubia sit confessio, et certa sit confessionis obligatio. Sed vide quod dicitur lib. 6, *De pœnit.*, num. 477.

*Quæritur 17.* An liceat conferre Sacramentum sub conditione, absque eo quod conditio ore exprimatur? Lib. 6, num. 29. in fine, affirmatum est cum Cont. Tourn., Ronc., Castrop., et aliis communissime. Sed quia non desunt auctores aliqui, ut Gonet, Juenin, Contens., Serry, etc., qui tenent (licet parum probabiliter) valorem Sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

*Quæritur 18.* An teneatur quis confiteri peccatum mortale certe commissum, si postea sit in dubio an illud fuerit vel ne confessus? Lib. 6, num. 477, dictum fuit non teneri, si credat se probabiliter peccatum confessario jam exposuisse. Sed nunc teneri dicimus; quia sicut certa fuit obligatio confitendi, ita certa debet esse confessio. Vide tamen cit. numer. 477.

*Quæritur 19.* An sacerdos ab Ecclesiæ abscissus, uti si esset hæreticus, schismaticus, aut excommunicatus vitandus, possit absolvere eos qui sunt in periculo mortis, si alius desit? Lib. 6, num. 560, *quæ. 1.*, probata fuit sententia negativa. Sed nunc probamus contrariam cum Sylvio, Collet., Sylvestro Cano, etc.

*Quæritur 20.* An si pœnitens confessus sit superiori, et inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde a quolibet confessario de illo absolvi? Lib. 6, num. 597, probavimus sententiam negativam; sed nunc, ex auctoritate Pontas, Collet, et signanter Sylvii, qui affirmativam cum Sylvestro, Navarr., Adrian., Angel., Covarrub., et pluribus aliis

pro certa habet, eam reprobare non possumus.

*Quæritur 21.* An inhabilitas ad celebrandum, quam incurrunt confessarii sollicitantes, incurratur ante sententiam? Lib. 6, num. 705, affirmatur. Sed nunc vide id quod dicitur in hac editione, num. citato (1).

*Quæritur 22.* An Episcopi possint absolvere ab excommunicatione eos qui tentaverunt extrahere delinquentes ab Ecclesia? Append. *De privilegiis*, num. 28, affirmatum est. Sed nunc oppositum tenendum cum Fagnano, qui id probat. Vide loc. cit.

\* Véase la excomunion 5.<sup>a</sup> de las simpliciter reservadas en la constitución Apostolicæ Sedis.\*

*Quæritur 23.* In *Praxi Confessariorum* dicitur (cap. ult., num. 287), Episcopis eorumque delegatis concessa est facultas impertiendi indulgentiam plenariam infirmis eam petentibus in articulo mortis; addendum, ad hoc requiri ut Episcopi hanc facultatem a Summo Pontifice exposculent et obtineant.

*Quæritur 24.* In examine ordinandorum, num. 98, dicitur ex rubrica illicitum esse in Missa adhibere vinum quod *incipit acescere*. Adverte ibi quod additum est.

*Quæritur 25.* In eodem examine, num. 122, dicitur dubium esse an sit probabilis opinio quod celebrare sine cruce non sit mortale. Sed re maturius perpensa, nunc satis probabilis mihi videtur, cum inter doctores sit communis; nec certum habetur fundamentum in oppositum.

*Quæritur 26.* An calix, si denuo inauretur, denuo sit consecrandus? Lib. 6, num. 370, dub. 2, probabilius censui negandum cum Laym., Lugo, etc. Sed re melius perpensa,

(1) Un decreto novísimo de la Sagrada Congregación declaró que la inhabilitad impuesta al solicitante era *ferenda*, y así por este motivo no está impedido de celebrar Misa.

nunc puto cum Ferrari, Suar., etc., probabilius iterum calicem esse consecrandum. Vide annotationem ultimo loco adjunctam in loco citato.

3886. Sicut auctor, ita editor, hujus operis duo oblitus est loca textui inserere; auctor ea in indice rerum generali possuerat, quæ jam editor hic loci exhibet. Sunt autem sequentia, quæ auctor his verbis notavit:

a. An devote audientes horas, dum musici cantant, satisfaciant? Affirmant aliqui, apud Pelliz., cap. 8, num. 42; sed omnino negandum cum Croix (lib. 4, num. 1299 et Mazz.,

tom. 1, pag. 302. Id notatur hic, quia omisum erat in corpore.

b. Nota hic obitur quamdam doctrinam sequentem, in corpore omisam. Religiosus injuste denegans suffragium novitio, peccat, et tenetur ad restitutionem, ut dicunt Spor., tract. V, in *Dec.*, cap. 1, num. 139; Lugo, disp. 9, num. 54, et Holzman, tom. 1, pag. 614, num. 471, cum aliis communissime; nisi adsit gravis causa reprobandi, nempe, infirmitatis, malæ indolis, defectus talentorum, et similium, ita ut putetur futurus gravis religioni.)